



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Cap. XVI. Ad can. IV. distinct. IV. de Quadragesima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

dinationis tempus alius alii locum deferat. Ideo supra addidimus, quod locus huic regulæ sit inter dignitate æquales. Idem obtinet in Doctoribus, secundum Bartolum in l. fin. C. de Tiron. & in l. 1. C. de obseq. à libert. Joh. de Plateâ in l. 2. C. de Primicer. Riccius decis. Neapol. tom. 1. decis. 131. n. 16. Menoch. consil. 51. n. 39. non attentâ ætatis ratione.

CAP. XVI.

Ad can. IV. distinct. IV. de Quadra-
gesimâ.

S U M M A R I A.

1. Quomodo cohereat canon 4. cum præcedentibus.
2. Telesphorus Papa an jejunii quadragesimalis auctor.
3. Modus jejundi.
4. Varius.

*Quomodo
cohereat ca-
non 4. cum
præcedenti-
tibus.*

*Telesphoro
Papa an je-
junii qua-
dragesima-
lis auctor.*

Cum superioribus distinctionibus de legibus egisset Magister, continuat eundem tractatum, hac quoque, de legum fine & qualitatibus præcipuè tractans. Canone enim primo factas ait leges, ut earum metu coërceatur humana audacia. In can. 3. Ait leges temporales postquam sint latæ, non licere judici de ipsis, sed secundum ipsas judicare. At quomodo coheret his canon quartus, ubi de septem hebdomadis Quadragesimæ? Nimirum dixerat in can. 3. quod leges instituantur, cum probantur, firmentur verò, cum moribus utentium approbentur. Inde exempli gratia subjicit à Telesphoro Papâ institutum, ut clerici à quinquagesima jejunent. Hoc ait moribus utentium non esse approbatum, ideoque transgressores reos non facere. De hoc itaque Telesphori præcepto hac occasione tractat pluribus. Nos eidem observata quædam adjiciemus. Jejunium quadragesimæ plerique Telesphoro Papæ anno Christi 142. adscribunt. Alii à Christo introductum, ut Ambrosius *serm. 23. & 27.* & Balsamo *ad Can. Apostol. 69.* Alii ab Apo-

Apostolis institutum volunt. Hieronymus *ad Marcellam adversus Montanum*. Leo *sermone de Quadragesima*. Vid. & *Baronius. ad ann. 57. n. 194.* Modus non idem servabatur. Alii enim uno die, alii duobus, alii tribus, alii sex diebus ab omnino abstinere, ut patet ex Irenæo apud Eusebium *lib. 5. hist. c. 24.* Ejus verba juvat referre. οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτὰς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ πλείονας, οἱ δὲ περὶ ἑξήκοντα, ὡς ἂν τε ἡμερῶν καὶ νυκτερινῶν συμμετρῶσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Una illa dies erat Pascha, Feriæ sextæ, ante Pascha ἀναστάσιμον. Qui duos dies jejunabant, adjungebant Sabbatum sequens, quo Christus quiescebat, ut est apud Tertullianum *libro de jejniis cap. 14.* Qui verò quadraginta dierum intervallum observabant, non quadraginta continuis diebus jejunabant, sed per quadraginta illos dies quibusdam. Quemadmodum enim Judæi, cum diutino tempore jejunandum erat, duos dies singulis hebdomadibus jejunio transigebant, feriâ nempe secundâ & quartâ, ut ex Maimonide tradit Petitus; Ita Christiani jejunio dies certos dabant singulis septimanis intra XL. dierum illorum spacium. Vide *Samuelem Petitem lib. 3. var. lect. c. 4.* Hieronym. *ad Marcellam, Augustin. epistola 118. c. 4.* Primis aliquot seculis jejunatum fuit per dies XXXVI. quatuor dominicis exceptis. Quibus ut compleretur numerus quadragenarius, quatuor dies Ecclesia addidit *Baronius d. loc. Sozomenus lib. 7. c. 19.* varie fuisse observatam Quadragesimam, & apud aliquos plures septimanas habuisse, quam sex. Illam, inquit, quæ hinc processit, quæque appellatur Quadragesima, in quâ populus jejunat, alii in sex dierum septimanas computant, ut Illyrici, & qui ad occidentem sunt, nec non & universa Lybia & Ægyptus cum Palæstinis. Alii in septem, ut Constantinopolitani & nationes circumjacentes, usque ad Phœnices. Alii sparsim tres intra sex aut septem istas jejunant: Alii tres Pascha immediate præcedentes continuant: alii duas, ut Montani sectatores. Mens est, quosdam totas sex septimanas jejunare: Alios non totas sex integras, sed tres tantum, ita ut alternatim jejunent septimanâ unâ, alterâ intermittant. Alii verò non alternatim, sed tantum per tres ultimas

Modus jejunandi.

Varius.

mas septimanas, alii per extremas duas, ut Montani. Quam
 alternationem affirmat locus *Socratis lib. 5. c. 22.* & Ambro-
 sii *sermone 35.* Sed qui numerum integrum complere satage-
 bant, dies utiles computabant: Qui verò continuos, jeju-
 nabant per XXXVI. dies, demtis seu exceptis dominicis. In-
 de factum est, ut nunc Quinquagesima, nunc Sexagesima,
 nunc Septuagesima dies utilis numerum quadragenarium ab-
 solveret. Ita explicat Carolus M. Epistolâ ad Alcuinum Præ-
 ceptorem dicens, qui à septuagesimâ ad diem Paschæ novem
 hebdomadas jejunent, ex singulis si Dominicam, feriam quintam
 & Sabbatum subtraxeris, iisque addas sacrum diem Pa-
 schæ, triginta sex in abstinentiâ dies
 remanere.

FINIS Eclogæ VI.



IN-